

nunc silent omnes, dum ipsis dies nimium dolorem et nimiam tanti vulneris acerbitatem adimit, interea temporis funebres laudationes, tot tantisque PRINCIPIS OPTIMI rebus gestis ac Virtutibus dignas, meditari iubemus. Poetis vero, sed illis tantum, quibus meliori luto finxit praecordia Titan, et maximi sunt maxumorum facinorum praecones, noua suademus piis MAGNANIMI HEROIS nostri Manibus carmina flebili, at forti, modulentur auena: rati, non fore, ut postea id officium ab sese Viro Maiori praestari posset. Valete. P. P. Rintelii, sub maiori Academiae Sigillo, VI. Kalendas Aprilis clo lccc xxx.

VII.

DE

LVCTV CATTORVM IN
CAROLI LANDGRAVII FVNERE.

Meditantibus nobis, luctu et moerore plenis, quid tandem communi Hassiae calamitati possit esse solatio: ut sese erigat, manuque interea temporis lacrumantia abstergens lumina, *SERENISSIMI PATRIAE PATRIS, DOMINI CAROLI, HASSIAE LANDGRAVII, PRINCIPIS HERSELDIAE, COMITIS CATTIMELIBOCI, DECIAE, ZIEGENHAINAE, NIDDAE, SCHAVENBURGI*, cetera, pie defuncti, funus sequatur: nihil nisi planctus obuenere, et lamentationes eorum, qui nec dum solidato tanti doloris vulnere, nouum renouata tam funesti casus memoria in Patriae visceribus in cruduisse fatentur. Siccine nobis accidisse reputemus, quod Aegypto Thamo, nauis rectori, quem, si fides, apud Plutarchum, de oraculorum defectu, Aemiliano Rhetori, vox ex insula Paxis repente audita iussit ad portum

tum